



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 59. Diversæ sacrarum Congregationum Constitutiones & decreta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

votis cessit Petrus Rex, cui Clemens Sæc. XVII.  
 nihilominus dispensationis geminæ gra- A. C. 1704.  
 tiam, quam Joannes Rex anno hujus  
 sæculi decimo pro duplici matrimonio  
 petierat, non denegavit, etsi non de-  
 essent, qui Pontifici suadere contende-  
 rent, hanc gratiam esse differendam,  
 donec Rex circa quindennia Pontifici  
 satis fecisset. Denique Pontifex S. Con-  
 gregationi Episcoporum ademit facul-  
 tatem indulgendi Cappucinis, ut sæ-  
 cularium confessiones excipere possint,  
 nisi in casibus a Papa concessis.

## §. LIX.

*Diversæ Sacrarum Congregationum  
Constitutiones & decreta.*

Jussu ejusdem summi Pontificis Sacræ Bull. magn.  
 Congregationes plura ediderunt de- Clem. XI.  
 creta, & primo quidem die decima part. 2.  
 quinta Februarii statutum, quod licen- pag. 247.  
 tiam habentes comedendi cibos vetitos  
 in Quadragesima, teneantur in cæna  
 observare jejunium. Die etiam deci-  
 mo nono Februarii promulgatum est  
 decretum, quo sub anathematis pœna  
 inhibitum, ne quiscunque cæmeteria  
 intra & extra Romam ingrediatur, in-  
 deque S. Reliquias extrahat, nec Ro-  
 mæ integra corpora aut insignes Reli-  
 quix aliis, quam magnis Principibus,  
 conspicuisque Prælati tradantur. Sta-  
 tutum

Sæc. XVII. tutum insuper, ut Sacerdotes, aliqui  
 A. C. 1704. Ecclesiastici in processionibus funeralibus  
 utantur Biretis excepto tempore noctis & pluviae, semperque cadavera in Ecclesiis super feretrum exponantur. Die duodecima Julii ad hæc dubia 1. an Cruces Altarium, seu Processionum sint benedicendæ de præcepto 2. an tum simplex Sacerdos eas possit benedicere private, & non solemniter ad primum S. Rituum Congregatio respondit negando, ad alterum affirmando. Speciali insuper decreto S. Officii Congregatio die undecima Martii hos damnavit libros: I. *Usuram explicatam Authore Philopenes* II. *Theologi responsum ad quæstia a multis Confessariis animas ad Deum dirigendi studio accensæ proposita.* III. *Quæstiones selectas ex præcipuis Theologiæ moralis tractatibus Authore P. Matthæo de Moia Jesuita.* IV. *Appendicem ad hæc ejusdem Jesuitæ quæstiones.* V. *Judicium S. Facultatis Lovaniensis de octo articulis ex casu conscientie ab eadem Universitate notificato, & eidem Mechliniensis Archiepiscopi nomine proposito.* Denique S. Concilii Congregatio die vigesima Decembris declaravit, quod simplices Sacerdotes nullum habentes beneficium in Ecclesia Cathedrali, nec ex eo aliquod emolumentum capientes, teneantur tamen assistere

set.

fervitio dictæ Ecclesiæ singulis diebus  
de præcepto.

Sæc. XVII.

A. C. 1704.

## §. LX.

*Joannis Baptistæ Spinolæ Cardina-  
lis obitus.*

Luxerat Roma hoc anno mortem sex *Vit. Card.*  
omnino Cardinalium, quorum qui *part 1.*  
dam splendida sacri Collegii luminaria *fol. 29.*  
erant. Hos inter primus occurrit Joan- *Merc. Hist.*  
nes Baptista Spinola origine Genuensis *at An. 1704.*  
& patria Madritensis, qui floridam æta-  
tem inertio otio transigere nescius, tam  
præclarum in literis progressum fece-  
rat, ut ad varia beneficia in Neapolis  
Regno nominari, ac demum mortuo  
Julio Spinolæ ejus Patruo in Matealano  
Episcopatu succedere promereretur:  
Eo autem sponte dimisso meritis non  
minus quam auro dives, prudentia &  
circumspectione clarus Romanam venit,  
ubi a Clemente X. S. Congregationi  
Episcoporum a secretis, electus, postea  
Romanæ Urbis regimen in se suscepit.  
Hoc munere, quod alias Principum  
invidiam, populi odium, improborum  
convitia, & propriæ mentis fastidia  
tanquam individuos comites habet,  
cum maxima Pontificum, Principum-  
que satisfactione perfunctus est, atque  
Innocentii XI. favorem atque æstima-  
tionem